

tuniorum causam justissime derivare.

Adscribam nonnulla, quæ Sinæ leviora ducunt, imo vero (si Deo placet) in laude ponunt, ut de cæteris fiat conjectura, iterum obtestans eos, qui nostra hæc legunt, ut tanto impensius Deum pro gentis hujus salute deprecentur, quanto densioribus ignorationis tenebris est involuta, minus quidem propterea damnanda, haud paulo tamen minus miseranda.

Permulti sunt, qui, quod muliebri consortio carere minime possint, seipso viris copiosis in servos tradunt, ut ex ancillis domesticis unam sibi copulent conjugio, unde fit, ut etiam liberi perpetuam contrahant servitutem. Alii cum ad coëmendam sibi uxorem habeant nummorum satis, eam sibi pretio comparant, sed crescentem deinde familiam cum ultra sustinere non possint, filios ac filias in